

DE BEATA MARIA ECCLESIAE MATRE

Ant. ad introitum (Cf. Ac 1,14)

Erant discipuli perseverantes unanimitèr in oratione cum Maria, matre Iesu.

Collecta

Deus, misericordiarum Pater, cuius Unigenitus,
cruci affixus, beatam Mariam Virginem, Genetricem suam,
Matrem quoque nostram constituit,
concede, quaesumus, ut, eius cooperante caritate,
Ecclesia tua, in dies fecundior,
prolis sanctitate exsultet et in gremium suum
cunctas attrahat familias populorum.
Per Dominum.

Super oblata

Suscipe, Domine,
oblationes nostras et in mysterium salutis converte,
cuius virtute et caritate Virginis Mariae, Ecclesiae Matris,
inflammemur et operi redemptionis cum ea arctius sociari mereamur.
Per Christum.

Praefatio: De Maria, forma et Matre Ecclesiae

V/. Dominus vobiscum.

R/. Et cum spiritu tuo.

V/. Sursum corda.

R/. Habemus ad Dominum.

V/. Gratias agamus Domino Deo nostro.

R/. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, aequum et salutare,
nos tibi semper et ubique gratias agere:
Domine, sancte Pater, omnipotens aeternè Deus:
Et te in celebratione beatæ Mariae Virginis debitis magnificare praeconiis.

Quae Verbum tuum immaculato corde suscipiens
virgineo meruit sinu concipere atque,
pariens Conditorem, Ecclesiae fovit exordia.

Quae iuxta crucem testamentum divinae caritatis accipiens,
universos homines in filios assumpsit,
Christi morte ad supernam vitam generatos.

Quae, cum Apostoli Promissum expectarent tuum,
supplicationem suam discipulorum precibus iungens,
exemplar exstitit orantis Ecclesiae.
Ad gloriam autem evecta caelorum,

Ecclésiám peregrinántem matérno proséquitur
amóre eiúsque gressus ad pátriam tuétur benígna,
donec dies Dómini gloriósus advéniat.

Et ídeo cum Sanctis et Angelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus...

Antiphona ad communionem (Cf. Jn 19,26-27)

Ex cruce pendens dixit Iesus discípulo, quem diligébat: Ecce mater tua.

Post communionem

Sumpto, Dómine, pignore redemptiónis et vitae,
súpplices adprecámur, ut Ecclésia tua, matérna Vírginis ope,
et Evangélii praecónio univérsas gentes erúdiat
et Spíritus effusióne orbem terrárum adíimpleat.
Per Christum.